



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

45. An quando baptizatur aliquis in periculo mortis, debeant adstantes servare ordinem inter eos sub poena peccati mortalis? Et advertitur, quod quando baptizat aliquis idiota, dicat formam vulgari ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

sciens faciat, non peccat mortaliter, immò verò neque venialiter, si aliqualem adhibeat reverentiam, & cum aliquo timore, & pudore id faciat. Sic est communiter receptum à Theologis, paucis exceptis, & probatur; quia omnia argumenta adducta ad probandum esse peccatum mortale ministrare Sacramenta in culpa mortali, procedunt tantum de Ministro, qui ex officio, & cum solemnitate religiosa ministrat Sacramentum; ergo sine ratione dicitur Ministrum necessitatis peccare mortaliter, aut venialiter. Probatur etiam efficaci ratione insinuata à D. Thom. ad 3. quia minister necessitatis ministrans Sacramentum, non se gerit ut Ministrum Christi & Ecclesiae, sed tantum ut Ministrum necessitatis; ergo obligari non debet, ut conformetur sanctitati Christi & Ecclesiae, & de laico est quidem evidens, cum ipse nullam gratiam susceperit ut sacramenta conferret, ac proinde non tenetur tam arctè similitudinem principalis agentis imitari, sicut Sacerdos, qui est Minister sacramentorum ex officio. Idem autem dicendum est de Sacerdote ministrante Baptismum in casu necessitatis, quia licet Sacerdos sit minister ex officio, in casu autem necessitatis non ministrat Baptismum, ut Minister ex officio, sed ut Minister necessitatis, sicut laicus & femina. Et character Sacerdotalis non concurret ad illud ministerium, sed habet se quasi per accidens, & concomitanter, & idem Sacerdos in eo casu non aliter se habet, quam laicus. Etenim is dicitur sacramentum ex officio ministrare, qui actionem sacramenta ita exercet, ut nullus eam saltem illo modo exercere queat, nisi eam consecrationem habeat. Cum igitur Sacerdos in necessitate baptizat, sine solemnitate, eo dumtaxat modo baptizat, quo laicus baptizare potest, & ideo non baptizat ex officio, id est, ut minister Ecclesiae peculiari consecratione ad sic ministrandum sacramentum deputatus, ac propterea non peccat mortaliter.

RESOL. XLIV.

An, si sacerdos sit excommunicatus, & adsint alij; sit tamen ab ipso petenda administratio Baptismi in necessitate? Ex part. 5. tractat. 9. Resol. 87.

Quamvis non plenè sup. hoc lege tamen pro firman- da doctrina hujus Resol. duas Resol. sequentes.

§. 1. Respondet negativè Suar. de cens. disp. 11. sect. 1. n. 11. & 12. & alij, quia existimant duo debere concurrere ad extremam necessitatem, quae habilitant excommunicatum ad licitum ministerium sacramenti Baptismi, alterum quod se tenet ex parte ipsius baptizandi, nempe quòd sit in articulo mortis: alterum ex parte ipsius Ministri, videlicet quòd non sit alius, qui possit; & velit illud sacramentum conferre; nam si alius adsit jam baptizandus, non est in necessitate suscipiendi Baptismum ab excommunicato, cum habeat alium, à quo possit baptizari.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Cornejo in 3. part. tract. 5. de excomm. §. 1. dub. 2. quest. 4. quia quando pluribus conceditur privilegium, servandum est inter ipsos jus commune, l. assiduis, Cod. qui priorores in pignore habeantur, sed jure communi ratione sua consecrationis munus baptizandi competit solis Sacerdotibus, cap. Diaconos, dist. 93. constat, de consecrationibus, dist. 4. ergo cum in extrema necessitate, v. g. in articulo mortis concedatur universis facultas licitè bap-

zandi, sive excommunicati sint sive non, servandum est jus commune & eligendus Sacerdos.

3. Ad rationem verò Suarez respondendum est negando necessitatem extremam, in qua datur libera facultas baptizandi etiam excommunicatis, integrari ex illis duobus, nam sufficit alterum ex parte ipsius baptizandi, videlicet quòd ratione mortis imminens sit in necessitate recipiendi Baptismum, quamvis non sit in necessitate recipiendi illum præcisè ab isto excommunicato potius, quam à quocumque alio, & ex instantia in sacramento Penitentiae, ubi extrema necessitas, in qua datur simpliciter Sacerdoti jurisdictione absolviendi etiam à peccatis servatis, est solus articulus mortis ipsius penitentis, unde ex pluribus Sacerdotibus simplicibus assistentibus morituro, potest valde, & licitè absolvi à quocumque, aliàs si ex duobus assistentibus uterque vellet absolvere, neuter possit, quia penitens non est in extrema necessitate suscipiendi absolutionem ab illo præcisè, cum possit eam recipere ab altero.

RESOL. XLV.

An quando baptizatur aliquis in periculo mortis, debeant adstantes servare ordinem inter eos sub poena peccati mortalis?

Et advertitur, quòd, quando baptizat aliquis idio- ta, dicat formam vulgari sermone, potius quam Latino, ne erret, nisi constet Latine bene profere- rendam. Ex part. 5. tract. 3. Resol. 18.

§. 1. Suppono teneri servare ordinem eos, qui non sunt Sacerdotes, quando in necessitate ministrandus sit Baptismus; ita ut Diaconus preferatur Subdiacono, Clericus laico, vir feminae, &c. Sed difficultas est an pervertere hunc ordinem sit peccatum mortale? & affirmativè respondet Valquez in 3. part. tom. 3. disputat. 147. cap. 5. §. Postremò hoc idem, Meratius tom. 3. tractat. de Sacramento Baptismi, disput. 5. sect. 5. Valent. tom. 4. disputat. 4. quest. 2. punct. 1. Turrianus in summa part. 2. cap. 13. dub. 4. conclus. 2. quibus adde Ochagaviam de Sacrament. tract. unic. de Baptismo, quest. 12. num. 19. quia prædictum ordinem in baptizandum servandum esse non jure aliquo humano, quin potius divino, statutum est, quia cum jus divinum ob necessitatem extremam concedit, ut licitè baptizent illi, qui aliàs baptizare non poterant licitè, sine dubio hanc facultatem idem concedit, ut qui magis aptus est, inepto preferatur in administratione Baptismi; unde videmus in praesentia Sacerdotis Diaconum baptizare non posse; sed mulier minus apta est, quam vir, & laicus, quam Clericus; & Clericus, quam Sacerdos: ergo in praesentia aptioris minus aptus non potest baptizare sub poena peccati mortalis, quia materia haec gravis est, & cadens sub præcepto divino. Ita Ochagavia.

2. Secunda opinio docet inversionem, quia inferiores Diacono ei preferuntur, esse mortalem, non verò inter alios Diaconos inferiores. Ita Hurtadus de Sacram. Baptismi, disp. 2. diff. 3. Coninch de Sacram. 9. 67. art. 5. dub. 2. Reginald. tom. 2. lib. 27. c. 6. n. 44. & Prapostus in 3. p. 9. 67. art. 5. dub. 2. num. 7. quia ex una parte Diaconus jure divino preferatur aliis inferioribus se, quia ex vi sui Ordinis est magis aptus ad id, quam alij inferiores, & ex altera haec praetatio est materia gravis, & confi

Sup. hoc diff. & ul- que ad §. Tertia, hu- jus Resol. in seq. Res. §. 1. & 2. & in tom. 3. tr. 1. ex Resol. 8. §. Primò no- tandus, & seq. & ne praetermit- tas legere hic doctri- nam Resol. praeterita.

De Sacram. Baptism. Resol XLVI. &c. 31

considerabilis; ergo opposita inversio & prelatio erit mortalis, utpote gravis usurpatio cuiusdam prelationis, & inchoationis officij.

3. Tertia opinio mortale, etiam si negligatur Diaconus. Ita Sotus in 4. distinct. 4. q. unic. art. 2. §. circa tertiam. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 31. sect. 4. §. Unde tertio addendum. Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 4. Zambranus de Sacram. Baptism. c. 1. dub. 1 §. num. 5. Joannes Henriquez in comp. cap. 23. num. 4. Granadus de Sacram. in 3. part. contr. 4. tract. 2. disp. 2. num. 6. ubi sic ait: Non est mortale hunc ordinem invertere, ut si laicus coram Diacono, vel femina coram viro ministraret baptismum, quia cum nullus istorum sit ex officio minister baptismi, quod minus potius, quam alter baptizet, non est gravis inordinatio. Sic ille. Atque hanc opinionem docet etiam doctus Episcopus Moscolus in summ. tract. 2. capit. 4. num. 2. ubi ita affert. [Tambien me parece que pecaria mortalmente el lego bautizando delante de un Presbytero confagrado, y con potestad de Ordenes para aquel ministerio, mas si el lego fuessse mas habil, como un Doctor Jurista; que el Sacerdote; no pecaria bautizando delante del, pero entre los Diaconos, y Subdiaconos, y Clerigos de menores Ordenes, y seglares hombres, y mugeres, atento que ninguno dellos es ministro propio, ni confagrado para este ministerio, no parece seria pecado mortal bautizar contra el orden arriba dicho; sino indecencia grande. Mas lo que en este caso conviene advertir, es consejo laudable, y salvable, y acertado poner los ojos en la persona que sepa mejor administrar este Sacramento; para que la tal le administre, y por esta razon algunas vezes, y no pocas estando presentes diversas personas, y aun graves; las comadres diestras en este ministerio son las que bautizan los niños, quando estan en peligro de muerte.] Ita Moscolus, & huic tertie sententia ego libenter adhaereo. Vide etiam me ipsum, & Doctores, quos citavi in 3. part. tract. 4. * ref. 4.

4. Cavendum est igitur maxime ex his, ne ille a quo petitur, ut ministret in periculo mortis baptismum, propter scrupulos, relinquat morientem sine baptismo, expectans ministrum magis idoneum; sed si dubitet an opportunè veniet, vel non, talis idoneus ministret baptismum; quia ea pars est tutior. Et idem est; si dubitet, an sit periculum mortis, vel non; & si pro tibi qualitate & tempore non possit rem examinare, nunquam discedat a loco, in quo est baptizandus periclitans, sed mittat alium; qui vocet idoneum ministrum; ut si interim necessitas urgeat; ipsemet baptizaret. Deinde notandum est etiam, quando baptizat aliquis idiota; dicat formam vulgari sermone potius, quam Latino, ne erret, nisi constaret Latine bene profertendam; & haec omnia docet Zambranus de Sacram. Baptism. capit. 1. dub. 15. num. 5. & 7.

RESOL. XLVI.

An peccet mortaliter laicus, si praesente Diacono, in casu necessitatis baptizat infantem?
Et quid, praesente Sacerdote?
Et quid est dicendum, quando laicus baptizat extra casum necessitatis, an peccet mortaliter, & incurrat irregularitatem? Ex part. 3. tit. 4. Ref. 4.

§. 1. **A**ffirmative respondet Joan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de Sacram. Baptism. q. 2. dub. 1. concl. 3. Nugnus in 3. part. q. 67. art. 5. diff. 2. & Coninch. de Sacram. q. 67. dub. 1. concl. 3. qui pro hac sententia citat Suarez, licet male; nam ipse contrarium, & merito docet in 2. part. tom. 3. disp. 31. sect. 4. & ita etiam hanc negativam sententiam tuerentur Layman. in Theol. moral. lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 4. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 5. diff. 8. num. 10. Chamerota de Sacram. tract. 2. cap. 4. dub. 5. Pitigianus in 4. sentent. tom. 1. distinct. 6. q. 1. art. 1. post concl. 5. & Sylvius in 3. part. q. 67. art. 3. & alij, ubi asserunt esse mortale, si absque legitima causa praetermittatur, in tali casu Sacerdos praesens; si autem Diaconus, vel unus ex inferioribus praetermittatur, esse solum veniale, aut nullum, si mulier peritior sit laico praetermisso, ut communiter solent esse obstetrices. Ex his apparet, me olim rectè consuluisse obstetricem quandam non peccasse mortaliter, dum in casu necessitatis baptizavit infantem, dum aderant alij Religiosi in lacris constituti; non tamen Sacerdotes qui hoc facere potuissent.

2. Non desinam etiam hic adnotare Valentiam tom. 4. disputat. 4. qu. 2. punct. 1. Et Joannem Suarez in enchiridio casuum conscientia lib. 5. ver. baptismus, §. in necessitate, docuisse laicum baptizantem praesente Sacerdote, secluso contemptu, & minime renuente Sacerdote, peccare tantum venialiter.

3. Nota tamen hic obiter contra Paludanum in 4. sentent. dist. 5. q. 2. Sylvestrum ver. Baptismus 3. & alios, laicum baptizantem extra casum necessitatis, peccare quidem mortaliter, sed non incurere irregularitatem; & ita docent Nugnus in 3. part. q. 6. art. 5. diff. 3. Pitigianus in 4. sentent. tom. 1. dist. 6. q. 1. art. 1. & alij. Nec valet dicere, quod qui baptizat sine necessitate, baptizat ex officio, sed propter hoc ponitur laico irregularitas. Ergo. Secundò laicus si conficit aliud Sacramentum, est irregularis; ergo etiam si administrat Baptismum. Nam responderetur ad primum negando majorem, quoniam cum in hoc Sacramento distinguitur minister solemnitate, & necessitatis, cum non baptizat ex solemnitate, tantum baptizat tanquam minister necessitatis, atque adeò non tanquam ex officio. Et per hoc patet responsio ad secundum negando consequentiam; quoniam in aliis Sacramentis non distinguuntur minister solemnitate, & necessitatis, atque adeò quomodocumque conficiat, conficit quasi ex officio, & ideo est irregularis, quod non accidit in casu nostro. Ergo.

RESOL. XLVII.

An Diaconus, si baptizat aliquem in articulo mortis, possit aliquando solemniter illum baptizare?
Et an, si Diaconus sine commissione solemniter baptizat, sit irregularis? Ex part. 5. tract. 3. Resolut. 28.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 23. sect. 3. ubi sic ait. In ordine ad solemnem Baptismi administrationem haec ex rationabili causa potest Diacono committi in casu necessitatis, imò si necessitas urgeat, & Sacerdos sit absens; potest ipse jure suo ministerium usurpare, ut docet glossa in c. Diaconus, ver. necessitas 93. dist. Ita Suarez.

Sup. hoc & contento in hoc & seq. §. in Ref. praeterita, a lin. 4. & in aliis ejus prima not.

Sup. hoc in Ref. not. praeterita.

Sup. hoc in tom. 3. et. r. ex Ref. 8. lege doctrina a lin. 5. §. 1. vers. Quod autè, & aliquid in duobus §§. legq. praeterita Ref.

